

Quæ fortasse alias lævabo, perque polibo.
 Nunc, ut sunt, abeant docta sub ora virum;
 Aut alium quærant, qui se comatque, fricetque,
 Atqueterat morfu pumicis ariduli.
 Me piget, huc doctæ post tædia longa palestræ
 Elapsus tempe Tuscula dum celebros;
 Piniferos dum per montes, atque avia rura
 Libera vix orto mens avet ire die,
 Et fraudes moliri avibus quocumque vocarit
 Dexter pulmosum Faunus ad aucupium;
 Hoc opere, his mœstis Octobrem perdere curis;
 Ringi & quod peccet syllaba, & asperius
 Concurrat, vasto vel se diducat hiatu,
 Et genus hoc tricis quæ miseros misere
 Adfligunt senio tristi, occiduntque poetas.
 His ne ut ego tricis tempora læta teram,
 Tamque bonas luces, toto quas perditus anno,
 Perditus ah! mentem dum grave frangit onus,
 Exspectoque, vocoque, ut portum navita lassus
 Ventorum a furiis, & mari ab indomito?
 Non, mihi si totam Phœbus pater Hippocrenen,
 Et quantum est lauri Pegaseo in nemore
 Spondeat; aut Siculi dulcem pastoris avenam,
 Aut Cyræneus qualia Callimachus,
 Qualia Mœonides vel magnus carmina panxit,
 Nil ego mi tanto sanus emam pretio.
 Quare vel dias protrude in luminis auras
 Hæc, ego quæ nondum lumine digna puto,
 Vel, parere mihi si vis, incondita noli
 In partem libri scripta vocare tui;
 Sed, quod promisi, facilisque, volensque remitte,
 Ne tibi sit totis erubuisse genis.
 Quamquam etenim tua te virtus, & vividus ardor
 Victorem in rupes extulit Aonias,

Nec